



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

Dissertatio Prima de Natura Logices.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

LOGICA.

Præter naturalem Logicam, seu nativam intellectus nostri virtutem, quâ hic absque præceptis, adeoque non sine errandi periculo res novit definire, dividere, veritatem unam ex alia deducere, dari in eodem intellectu Logicam quandam artificialem & acquisitam, seu lumen aliud clarius, facilitatem aliam certiozem ad eadem præstanda infallibilius, manifestum est. Quæcumque uti scientiarum reliquarum, ita & Philosophia sit janua, ab ea dissertationes nostras ordimur.

DISSERTATIO PRIMA

De Natura Logices.



Logica scientia sermocinalis dicitur, non quod de vocibus externis disputet, aut de iis præscribat regulas (etsi vocibus utatur ad disputandum & regulas suas aliis explanandas more scientiarum

A

omnium

omnium humanarum) sed quia verbis internis docet discurrere, & sibi ipsi manifestare ignotum, id est, per conceptus obscuros cognitum, per conceptus clariores; adeoque objectum ejus non sunt voces, ne quidem ut manifestativæ rerum substantiarum nostris conceptibus logicis, sive in quantum constituunt Syllogismos, definitiones, divisiones vocales. Tractat igitur Logica de æquipollentia & suppositione terminorum & vocum indirectè & per accidens, agens tantisper Grammaticam, ut Tyronibus suis terminos artis exponat. Examinando verò syllogismum vocalem, potius syllogismum mentalem alterius per voces repræsentatum examinat; syllogismus enim vocalis etsi repræsentet syllogismum logicè bonum vel malum, & dispositionem medii mentalis cum extremis mentalibus seu artificium logicum, ipse tamen nec bonus, nec malus est logicè, quia artificium logicum non formaliter, sed tantum repræsentativè continet, & tota hæc vocum seu medii vocalis cum extremis vocalibus dispositio spectat ad Grammaticam, cujus est, dispositio-

nem

nem conceptuum aptâ verborum dispositione & significatione exprimere, eritque syllogismus vocalis grammaticaliter bonus, si exprimat conceptus, uti in mente reperiuntur, sive hi secundum regulas logicas benè, sive malè sint dispositi; à quibus cum non imperetur aut dirigatur, sicut actus externus virtutis ab interno dirigitur & imperatur, ne quidem rationem objecti logices participat, sicut hic ab illo rationem virtutis. Est itaque quis Logicus ante voces & sine illis, dum syllogismum mentalem, aliosve actus logicos in mente solùm formavit.

II. Similiter quia Logica considerando genus, universale, &c. res ipsas substantes his denominationibus logicis cognoscit solùm indirectè & quasi per accidens, quia connexæ sunt cum significato formali harum denominationum, sive cum forma dante rebus has denominationes V. G. cum conceptu confundente multa per modum unius, in quem ipsa fertur primariò & directè,

non attendendo , cujus rei hic conceptus sit imago , veluti pictor considerans imaginem , versatur solum per se circa lineamenta artificiosè ducta , non curando, an hæc in auro, an in ligno sint ducta, an hujus vel illius historię expressiva ; res omnes sive modi sciendi objectivi non magis sunt ejus objectum , quàm res omnes à Deo scitæ & volitæ sint objectum Theologiæ idèò , quod ^{cc}hic versetur directè circa intellectum & voluntatem Dei. Quare regulæ Logices non sunt intelligendæ de rebus ipsis , sed de conceptibus , V. G. hæc : *definitio debet esse convertibilis cum definito : debet constare genere & differentia ;* hac nimirum ratione : definitio formalis debet esse eadem cum definito formali , non quidem entitativè , sicut definitio objectiva & definitum objectivum sunt eadem , sed repræsentativè , id est, definitio formalis debet explicare idem clariùs , quod definitum formale explicabat obscuriùs : item definitio formalis debet constare genere & differentia ; non quidem objectivis , sed formalibus , id est debet repræsentare genus & differentiam rei. Agit tamen etiam de præ-

prædicamentis , quæ res sunt , sed per accidens , ut præbeat tyronibus suis materiam , in qua eorum conceptus logici occupentur ; Item de differentia demonstrationem inter & syllogismum probabilem (qui in consideratione logica , id est , ratione formæ non differunt , sed tantum ratione materiæ) ut Tyrones in diversa materia vim formæ syllogisticæ experirentur. Neque per hoc immediatè res ipsas attingere censenda est Logica , quod præsuppositivè instructa à Metaphysica , sciens proprietates & essentias rerum judicet , an definitio aliqua sit bona quoad formam , quamvis videre , an regulæ Logicæ hîc & nunc in materiis aliarum scientiarum bene sint applicatæ , ad alias scientias pertinere videatur. Neque per hoc , quod examinando hanc similesque propositiones : *paries est albus* ; dicat : *paries* in hac propositione est subjectum , præterquam enim quod similes actus ad Logicam reductivè tantum spectent , sunt mixti , & quoad prædicatum tantum logici.

III. Neque etiam objectum materiale proximum Logices est homo , seu intellectus rectè intelligens , quia non est id , de quo tan-

quam subjecto conclusionis fiunt demonstrationes logicæ, & quod Logica per regulas suas proximè dirigit, ut bene fiat; & si ideo intellectus est objectum Logices, quia finis Logicæ est, ut intellectus rectè intelligat modum formandi syllogismos &c. jam intellectus erit objectum omnium scientiarum & artium, quia & harum finis proximus & intrinsecus est, non ut opus externum actu producat, sed ut homo reddatur rectè intelligens & sciens modum rectè producendi opus externum. Intendit itaque Logica non intellectum perfectum in concreto, sed rectitudinem ejus, id est, cognitionem rectam, ex qua quod dein perfectio intellectus resultet, illi per accidens est, vel saltem ultra ejus finem primum, æquè functura suo officio, si actus à suis regulis directus reciperetur in lapide. Ex eo autem, quod subjectum ultimum formæ per artem productæ sit objectum materiale artis. V. G. statuariæ lignum, non operatio vel quantitas, in qua tamen forma statuæ proximè recipitur, non sequitur eodem modo procedendum esse in scientiis practicis, quia hæ activæ sunt,

sunt, artes verò factivæ, in quibus ideo subjectum ultimum formæ assignatur pro objecto materiali, quia ex parte hujus ultimi subjecti peculiarem difficultatem vincendam habent, quam in rem peculiariora quoque ab arte præscribuntur præcepta; Logica autem circa intellectum seu ultimum suum subjectum non invenit hanc difficultatem, cum intellectus ad recipiendas operationes rectas necessario sit determinatus. Imò loquendo subtilius & logicè de objectis artium mechanicarum, illis assignare possumus objecta sicut in Logica, & dicere; V. G. objectum materiale proximum Aurifabri, esse sculptionem, fusionem &c. formale esse eandem sculptionem factam secundum regulas hujus artis.

IV. Multò minus objectum Logices est ens rationis fictitium, quia tale non sunt denominationes logicæ, dum enim quid dicitur definitum, prædicatum, universale, genus &c. non fingitur ab intellectu, sive non cognoscitur, rebus inesse à parte rei aliqua forma resultans iis à cognitione definiente univer-

salificante &c. & sic illas denominans, sed importatur denominatio realis rebus extrinseca, derivata à cognitione, quæ denominatio est ens reale, & indistinctum à subjecto denominato & forma denominante, non minus, quàm esse visum est denominatio realis conveniens parieti viso etiam nullo intellectu fingente, visionem esse parieti inhaerentem; & sicut visio rei visæ, sic cognitio conjungitur rei cognitæ realiter extrinsecè, præter quam conjunctionem fingenda non est alia unio intrinseca talium formarum cum talibus subjectis denominatis. Neque faciens universale concipio naturam abstractam realiter ab individuis, aut unum realiter identificari multis, sed abstractam & unam extrinsecè, sive cognoscuntur multa confuse in ordine ad prædicatum commune, non cognitis clarè differentiis eorum individualibus, quamvis Logica potius & directè versetur circa ipsam cognitionem abstrahentem, quàm naturam abstractam. Neque in propositione affirmativa fit ens rationis, dum prædicatum & subjectum quæ à parte rei idem sunt, inter se

se uniuntur & componuntur , nam prædicatum distinctum aliquo modo à subiecto , & compositio inter ea apprehenditur in actu exercito , non verò in actu signato , quod aliud non est , quàm rem inadæquatè & diversimodè concipere & ratione distinguere , & dein rem ut cognitam uno conceptu affirmare de eadem re ut cognita alio conceptu. Quinimò dato , denominationes logicas seu intentiones secundas objectivas esse entia rationis , adhuc non erunt objectum directum Logices , cum Logica eas solùm consideret directè secundùm formam denominantem ; sive enim per formas illas fictitias resultantes à talibus cognitionibus formaliter constituatur universale prædicatum &c. sive per ipsas cognitiones fingentes tales formas , Logica (cujus objectum debet in se posse dirigi) adhuc circa illas formas fictitias versari nequit immediatè , utpote in se indirigibiles & dirigibiles tantùm in cognitionibus , à quibus resultant.

V. Quare operationes intellectus sunt objectum Logices ; quidquid enim in

A §

Logica

Logica , directè cognoscitur , & ab ea dirigitur , sunt universalia , definitiones, syllogismi &c. quæ omnia formaliter sumpta sunt intellectiones ; quæ licet etiam ut rectæ sint entia physica , id est , non fictitia , non sunt tamen entia physica , id est , carentia omni artificio , adeoque in tantum non sunt considerationis physicae. Consistit autem harum intellectio- num dirigibilitas , uti & regularum lo- gicarum directivitas in eo , non quod operationes semel rectæ fieri possint ma- læ, vel contra (hoc enim fieri impli- cat , cum rectitudo & irrectitudo ipsis operationibus identificetur) sed quod intellectus vi regulæ seu cognitionis dirigentis determinetur ad operationes per entitatem suam rectas producendas aut continuandas, vitandasque aut abjicien- das irrectas per entitatem suam , quæ loco rectarum prodire possent. Insu- per opus non est , ut objectum sit prius realiter scientiâ, cum pateat contrarium in scientiis speculativis , & objectum cognitionis practicæ sit tantum prius intentione & prioritate rationis seu
essendi

essendi consequentiâ , quatenus bene infertur : cognitio est , ergo objectum est , non contra. Neque opus est objectum materiale scientiæ practicæ posse realiter separari à formali , contrarium enim debet admitti in multis actibus Ethicæ & Theologiæ practicis ; quare sufficit hoc ab illo distingui ratione , ita ut operatio confusè concepta sub ratione intellectionis, abstrahendo à rectitudine & irrectitudine dicatur objectum materiale , concepta dein clarè ut recta dicatur objectum formale. Unde neque opus est objectum scientiæ practicæ materiale præexistere formali , & esse realiter indifferens ad recipiendum formale (id enim solum requiritur ad inductionem physicam objecti formalis realiter distincti) sed sufficit abstrahendo à rectitudine concipi tanquam quid præexistens & indifferens ad eam.

VI. Tam autem apprehensio simplex (qualis est quâ objectum indivisibiliter instar unius apprehenditur V. G. quâ apprehendo *animal*) quàm complexa)

plexa) quâ objectum apprehenditur in-
 itar duorum V. G. quâ apprehendo *ani-*
mal rationale) pertinet ad objectum Lo-
 gices. Primò enim apprehensio complexa,
 potest repræsentare partes metaphysicas
 V. G. hominis, seu totum illud, quod
 est essentiale homini, cum discretionem
 genus inter & differentiam, adeoque
 constituere integram definitionem, hoc
 totum enim; *homo est animal rationale*:
 non est definitio, sed solum prædicatum,
 videlicet *animal rationale*; quia dicitur
 in hac propositione definitio prædicari de
 definito; ergo apprehensio complexa etiam
 extra iudicium est à Logica dirigibilis, &
 quidem hoc modo: postquam intelle-
 ctus pluribus apprehensionibus simplici-
 bus distinctis apprehendit *animal*, *sub-*
stantiam, *rationale*, *risibile*, *hinnibile*,
mortale &c. Logica dicit intellectui:
 conjunge objectum apprehensionis, quâ
 apprehendisti *animal*, non cum objecto
 apprehensionis, quâ apprehendisti *hin-*
ribile &c. sed cum objecto apprehensio-
 nis, quâ apprehendisti *rationale*, conjunge,
 inquit,

inquit. objecta harum duarum apprehensionum alia apprehensione, quæ indivisibiliter utrumque attingat objectum, & sic bonam hominis constitues definitionem. Secundò etiam apprehensio simplex ut opus artificiosum potest dirigi à Logica, quia tales sunt apprehensiones quæ *animal* & quæ *rationale* à suis inferioribus abstrahe, sive qua constituitur verum genus & vera differentia, sed hæc possunt à Logica dirigi & à voluntate imperari intellectui, ut nimirum ille, postquam ab una parte cognovit hominem V. G. equum, canem, piscem &c. in aliquibus operationibus convenire; ab altera parte à Logica edoctus, quod abstrahere à pluribus talibus rationem aliquam communem, sit facere genus, abstrahat rationem communem talem, vi cuius imperii directus à Logica dein apprehendit principium illud operationum similium respectu hominis, equi, canis &c. esse *animal*, & sic formaliter conficit genus. Nec obstat dirigibilitati apprehensionis, quod necessariò semper repræsentet objectum, sicut illi proponitur, adeoque nunquam possit esse objecto difformis, falsa, vel erronea, imò nec vitiosa contra regulas lo-

gicas, utpotè quæ, si repræsentet differentiã loco generis, non erit falsa repræsentatio generis, sed vera differentia regulis Logicis de differentia conformis; primò quia directio non semper supponit, opus faciendum posse malè fieri, sed seruit quandoque ad hoc, ut fiat opus rectum, quod sine directione quoad substantiam non fieret, ut patet in amore beatifico, qui etsi fiat necessariò, nec malè fieri possit, dirigitur tamen à iudicio, quod formant beati de amando Deo. Secundò quia Logica sua directione efficit, ut ponatur, hæc apprehensio à voluntate imperata, cujus loco absque directione posita fuisset alia non imperata. Nec remover apprehensionem à ratione objecti, scientiæ, quod neutra sit modus sciendi; etsi enim complexa non sit modus sciendi rigorosus & perfectus, qui affirmando vel negando faciat scire, est tamen imperfectior; apprehensio verò simplex tanquam dispositio reddens nos aptos ad construendum modum sciendi, spectat ad Logicam.

VII. Inter objecta Logices partialia objectum Attributionis est syllogismus perfectus, quatenus comprehendit probabilem

&

& demonstrativum; ad illius enim constructionem & meliorem, notitiam ordinantur omnia, quæ in Logica tractantur sive ex natura sunt talia, ut possint componere syllogismum (quod sufficit ad rationem objecti attributi, & non requiritur, ut illud ex primario suo conceptu ordinetur ad compositionem objecti attributionis V. G. ut definitio ex primario suo conceptu sit illativa conclusionis, seu compositiva syllogismi; sic examinantur termini ad construendas propositiones, formantur Genera & Differentiæ ad formandas definitiones, ex quibus dein veluti partibus componitur syllogismus) quæ tamen objecta attributa propterea quod referantur aut referri possint hac ratione ad objectum attributionis, non dicuntur per accidens considerari à Logica, cum illud dicatur per accidens considerari ab aliqua scientia, & secundariò, quod in se nihil dignum scitu continet & cuius notitia utilis non est, nisi quatenus conducit ad aliud cognoscendum: & syllogismus vice versa ad nihil eorum refertur; Licet autem demonstratio ratione materiæ sit modus sciendi perfectior, adeoque objectum Logices principa-

cipaliter, non erit tamen objectum attributionis, nisi in quantum comprehenditur sub ratione syllogismi perfecti; quia syllogismus perfectus ut sic non refertur ad eam, sed ipsa potius tanquam pars hujus totius refertur ad syllogismum ut sic: quin imò syllogismus probabilis ad eam non refertur, neque ut pars, neque ut imperfectius (non enim semper cognitio imperfectioris refertur ad cognitionem perfectioris;) neque ut contrarium; sic enim eodem modo vice versa demonstratio refertur ad syllogismum probabilem. Similiter etsi definitio sit quandoque causa conclusionis, cum nimirum est una ex præmissis, syllogismus adhuc non refertur ad illam, quia totum non refertur ad causam materiale vel formalem sui (quales dici possunt præmissæ respectu totius syllogismi, etsi respectu solius conclusionis referri possint ad causam efficientem) adeoque definitio non est objectum attributionis, quidquid sit de eo, num perfectius manifestet objectum, quod etiam falsum est in syllogismo, cujus una præmissarum est definitio, cum hic habeat quod habet definitio, & aliquid amplius. Item etsi præmissæ ordinentur ad

conclusionem, non tamen integer syllogismus, adeoque non omne, de quo tractat Logica, refertur ad conclusionem, sed hæc utpote pars potius ad syllogismum ordinatur.

VIII. Objectum Logices formale *quod*, seu ratio formalis *quæ* non est directivitas seu directio activa, neque ipsarum regularum logicarum, cum hæc directivitas sint ipsæ regulæ dirigentes, Logica autem seipsam habere non possit pro objecto: neque syllogismorum, definitionum &c. pro exemplo ad alias similes faciendas propositarum, cum prius sit, syllogismos ideales esse rectos secundum primævas regulas, quàm esse aliorum directivos, & Logica intendat, ut syllogismi definitiones &c. Sint recti, ex qua rectitudine, quod dein oriatur, ut etiam fiat directivi aliorum, est ultra finem Logices, & illi per accidens, adeoque Logica hanc directivitatem inducit in operationes, non ut formam à se primariò intentam, sed veluti consequentem & manantem ex rectitudine & non habet pro fine suo operationes ut directivas, sed quæ directivæ sunt. Nec objectum formale Logices est dirigibilitas

litas

litas passiva operationum intellectus, sive operationes intellectus ut capaces dirigi sive ut possibiles fieri rectæ, cum hæc dirigibilitas, seu capacitas & non repugnantia ad suscipiendam directionem Logicam non sit ratio illa, quæ præcipuè consideratur à Logica in operationibus, nec sit forma, quæ inducitur in illas, sed potius ratio formalis *sub qua* sive conditio, sine qua operationes non essent objectum Logices saltem practicæ, de qua ratione formali, *sub qua* loquitur Arist. dum dicit; objectum habitus practici esse rem operabilem ut operabilem: & licet per hanc objecti sui operabilitatem habitus aliquis practicus ab aliis scientiis specularivis distinguatur, per eam non distinguitur tamen etiam à practicis. Unde etsi assignandum sit Logicæ objectum, quod est praxis, assignanda non est tamen in hoc objecto materiali pro ratione formali sive objecto formali terminativo ipsa ratio operabilitatis, sed alia, per quam adæquatè ab aliis scientiis etiam practicis distinguatur.

IX. Qualis ratio in operationibus intellectus à Logica spectata etiam non est earum physica veritas, seu conformitas earum cum
 obje-

objectis; hanc enim virtus intellectualis, qualis est Logica, non intendit nisi in actibus suis immediatis, neque instrumentum aliarum scientiarum improprie tale (quamvis non examinemus hic objectum Logices quatenus instrumenti, sed quatenus per se scientiæ) statim primario eundem cum illis finem, nempe veritatem intendit, quæ veritas si quandoque sequatur ex rectitudine logica sive conformitate actus cum regulis Logices (qualis esse potest actus absque eo, quod verus sit physicè) Logicæ est per accidens, & ad summum ab ea intentum secundario, veluti finis extrinsecus, quæ per se intendit rectitudinem logicam utilem, non ut utile, ad veritatem investigandam. Unde hæc ipsa artificiosa actuum intellectus rectitudo seu conformitas eorundem cum regulis Logices, quatenus respicit activam harum regularum directionem (operationes enim casu factæ rectæ & conformes regulis esse non possunt objectum Logices, saltem quoad primum produci, cum circa illas nullus actus Logicus eas dirigens, ut bene fierent, versatus fuerit) est objectum Logices formale. Inducitur autem hæc rectitudo à directione

ctione regularum in operationes non ut jam rectas vel incorrectas, neque in existentes sine rectitudine & incorrectitudine à parte rei, sed in præscindentes juxta nostrum concipiendi modum ab utraque; & plus Logica non præstat per suam directionem, quàm ut prodeat operatio in entitate sua recta, cujus loco proditura fortè fuisset in entitate sua incorrecta. Hinc facile inferes incorrectitudinem non esse objectum formale præceptorum logicorum negativorum, sed rectitudinem, propter quam talia præcepta vetant incorrectitudinem, & quam procurare intendunt vitatis vitiis & incorrectitudine.

X Logica circa hoc objectum suum versatur practicè. Ad cognitionem enim practicam requiritur: Primò, ut sit notitia repræsentans rem operabilem ut operabilem (quia poterit cognitio repræsentare rem, quæ operabilis est V. G. domum ut ens est, vel rem considerare positivè ut jam factam & tamen non esse practica. Secundò ut repræsentet rem operabilem ab ipso habente hanc notitiã, quia si repræsentet rem ab altero operabilem V. G. motum cœlorum ab Angelo, quæ impossibilis sit ipsi habenti hanc notitiam,

tiam, non erit practica; cui tamen non obstat impedimentum aliquod per accidens impediens, quominus hæc operabilitas prodeat in actum; sic habet claudus adhuc scientiam practicam saltandi. Tertio debet dirigere ad effectiorem, id est, debet ostendere, & præscribere, modum, quo opus repræsentatum possit fieri; unde non sufficit, opus repræsentatum esse producibile ab habente talem cognitionem, sed requiritur præterea, ut sit capax directionis intellectualis & imperio voluntatis subjaceat, quale quid non est nutritio. Quarto debet dirigere ad objecti repræsentati effectiorem; sic consideratio bonitatis divinæ etsi moveat & dirigat ad amorem, non est tamen practica, quia non dirigit ad effectiorem sui objecti, quod est bonitas. Quinto debet immediatè dirigere, id est, vi istius cognitionis debet cognoscens constitui proximè aptus ad operandum, quantum est ex parte intellectus moventis voluntatem & dirigentis potentiam executricem, etsi dein habens hanc cognitionem nolit operari; Denique debet ex se seu ex fine suo intrinsecò dirigere ad opus, quia quod de facto cognitio talis ordinetur vel non ordine-

dinetur à cognoscente ad opus, nihil facit ad rationem practici vel speculativi: jam verò hæc omnia conveniunt regulis logicis, ergo. Unde etiam negandum non est, objectum Logices esse praxin, cum non sola operatio potentia alterius ab intellectu, sed omne opus operabile, seu per rectam rationem dirigibile siue internum siue externum (qualiter etiam una cognitio etsi sit speculativa & speculatio, ab alia est dirigibilis) sit praxis, adeoque intellectus non tantum extendendo se ad actus aliarum potentiarum dirigendos fit practicus, sed etiam extendendo se & transendo ab uno actu ad alium intra suum objectum. Nihilominus fateor inveniri in Logicâ actus purè speculativos, quales sunt, qui considerant proprietates modi sciendi seu objecti Logici v.g. *Genus latius patet differentia: divisio tollit confusionem &c.* hæ enim proprietates non sunt à cognoscente factibiles, nisi mediatè, sed eodem modo ab essentia logica modi essendi dimanant, siue cognoscantur, siue non, ac proinde immediatè non subjacent imperio voluntatis & intellectus directioni. Quales item sunt, qui considerant opus Logicum jam factum, illudque exami-

exami-

examinant, num secundum regulas factum, & an in eo sit quid vitii, hi enim actus non representant rem amplius ut operabilem; & licet sint occasio, vel moveant voluntatem, ut imperet intellectui correctionem defectuum per substitutionem novi v.g. syllogismi, aut etiam in eum finem suscipiantur, ad hoc tamen per se & immediate non dirigunt. Qui tamen actus quia secundario tantum & reductivè spectant ad Logicam (uti etiam ad alias artes spectat examinare opera sua, num bene sint facta juxta earum regulas) Logica non magis dicenda erit partim speculativa, quam aliæ artes.

XI. Versatur item Logica certò circa suum objectum adeoque est virtus intellectualis quoad omnem sui partem; nam habitus Logicæ tam topicæ & sophisticæ, quam analyticæ, utpote generatus à certis, veris & infallibilibus regulis (regulæ enim tractantes de syllogismo sophistico, qualis est hæc: *Syllogismus constans quatuor terminis malè concludit*: & de topico, non minus sunt certæ & infallibiles, quam tractantes de syllogismo demonstrativo) semper inclinatur in similes cognitiones certas & veras tanquam

in

in actus suos immediatos. Cui non obstat quod actus remoti, directi ab his regulis, vel quos per eas vitare intendit Logica, syllogismus nimirum probabilis & sophisticus, sint imperfecti, vitiosi, quandoque, vel semper falsi, sed ex eo tantum sequitur, habitus ab his syllogismis topicis & sophisticis relictos non esse virtutes intellectuales. Non est tamen Logica habitus primorum principiorum, cum non inclinet ad assensum propositionum per se notarum, uti patet ex difficultate, quam habemus in apprehendendis regulis logicis. Nec Sapientia, cum non inclinet ad assensum firmum existentem in primis rerum causis & universalissimis principiis. Nec Prudentia, quia non dirigit actus humanos ad honestatem dictando quid hic & nunc sit faciendum. Nec Ars strictè talis, cum non sit habitus cum rectâ ratione factivus, id est, versans circa actiones externas & transeuntes, sed activus, id est, versans circa actiones internas & immanentes; dici tamen potest ars, si ars cum Aristotele sumatur latius pro habitu intellectus practico, sive activus ille sit, sive factivus. Multò minus Logica est una ex non virtutibus intellectualibus (quæ

(quæ quandoque in verum, quandoque in falsum inclinant) non enim est Facultas, quia non inclinat ad opposita sive ad utramque partem contradictionis; neque est Habitus purè instrumentarius, licet enim profit, & adhibeatur ad alias scientias obtinendas, per se tamen & propter se est expetibilis; neque est Fides humana, cum non innitatur auctoritati tradentium regulas, sed ipsi regularum veritati, neque est Opinio vel Suspicio.

XII. Versatur denique Logica circa suum objectum scientificè, sive est scientia, tam quoad partem topicam & sophisticam, quàm quoad analyticam, saltem secundum nobiliores suas conclusiones (neque opus est ad aliquam scientiam, ut omnes omnino ejus conclusiones sint scientificæ) quia hæ deductæ sunt ex præmissis certis & evidentibus, qualis est hæc: *ergo definitio debet constare genere & differentiâ: deducta ex his præmissis: oratio explicans rei naturam debet id facere per genus & differentiam, definitio est talis oratio &c.* ita tamen ut logica artificialis habitus sit primitus acquisitus, non per demonstrationem artificialis Logicæ, quam ipsa Logica artificialis docet facere, sed per demon-

B

stra-

strationem directam à Logica naturali, quæ dein ex primis rerum principiis deducitur. Neque obstat scientiæ objecti Logices contingentia; est enim illud quoad existentiam contingens, sed quoad essentiam seu connexionem prædicatorum essentialium inter se necessarium; unde licet operationes intellectus possint à nobis bene vel malè fieri, quoad existentiam, id est, possit quis facere, ut non existat verbi gratiâ definitio, vel ipsius loco ponatur actus vitiosus; non possunt tamen à nobis bene vel malè fieri quoad essentiam, id est, non potest quis facere, ut essentia verbi gratiâ, definitionis non sit, constare genere & differentiâ; & sic licet habeant principium existentiae suarum proprietatum à nobis & à nostra directione, non habent tamen principium veritatis suarum proprietatum à nobis; sed ex natura sua, sive quod hæc sit vera definitionis essentia, & quod sit inter ejus prædicata connexio necessaria, id habet ex natura sua. Neque obstat objecti Logicæ singularitas, præterquam enim quod non sit ratio, cur de singulari-

laribus dari nequeat scientia, Logica saltem docens versatur circa singularia, non quatenus singularia, sed ut sunt in intellectu abstrahente ea à singularitate confuse cognita.

XIII. Non est autem Logica totalis una simplex scientia, seu unus simplex habitus & qualitas in essendo, virtute tantum & in agendo, nimirum inclinando ad distinctos specie actus, multiplex; sed collectio plurimum partialium habituum, tot nimirum, quot sunt distinctæ conclusiones demonstrativæ in logicâ; cum actus specie distincti generent distinctos specie habitus, & habitus seu major facultas nata ab actu syllogizandi sæpius repetito accrescere non possit seu uniri habitui definiendi, utpote diversæ rationis. Certè si logica sit talis simplex qualitas, quæ tota acquiritur per primum actum, jam sciens facere propositionem, novit totam Logicam, quæ sequela frustra negatur, eò quod tali habitui adhuc desit relatio ad alia objecta, sinè qua is non potest versari circa illa, quia relatio, utpote quæ activa non est, non potest esse ratio agendi. Neque patrocinatur

B 2

huic

huic doctrinæ natura habituum supernaturalium aut fidei naturalis, priores enim, cum non generentur per actus, neque per illos, nisi meritorie, intendantur, inclinare possunt ad actus specie distinctos; posteriores verò inclinare possunt ideo ad actus specie diversos v. g. quibus credo, quod dicitur mihi à Petro de inferno, & quod dicitur mihi ab eodem de cælo quia auctoritas Petri, utpote motivum movens me ad credendum, est narrationi illius extrinseca, & cum quocunque objecto æquè connexa; in Logicâ autem aliisque scientiis debet esse intrinseca connexio motivi formalis cum materia; sed unum idemque motivum non potest connecti cum tam disparatis objectis, & movere me ad assensum tam diversorum.

XIV. Neque Logica est scientia subalterna; conditiones siquidem requisitæ ad hoc ut scientia aliqua sit subalterna, sunt hæ: primò ut objectum subalternæ contineatur sub objecto subalternantis, ita, ut ab illo dependeat intrinsecè in esse & cognosci à priori, sicut cognitio lineæ visualis dependet à cognitione lineæ. Secundò ut objectum subalternæ sit aliquo modo idem cum objecto subalter-

alternantis (aliàs subalternata non poterit
uti iisdem principiis & demonstrationibus
subalternantis.) & aliquo modo diversum,
non essentialiter, sed accidentaliter : ubi ta-
men advertendum, differentiam, quæ est ac-
cidentaliter objecto in esse rei, esse eidem quan-
doque essentialiter in esse objecti respectu
talis scientiæ, si nimirum objectum conside-
retur sub tali accidente tanquam ratione
formali objectiva, adeoque scientia agens
de tali objecto per talem differentiam con-
tracto, non est subalterna respectu scientiæ
agentis de eodem objecto non contracto
per talem differentiam, egebitque princi-
piis prorsus diversis & demonstrationibus,
utpote quæ conveniunt scientiæ ratione ob-
jecti formalis: debet igitur subalterna de-
monstrare passiones de objecto contracto
per talem differentiam ratione sui & non
ratione istius differentiæ, applicando de-
monstrationes propriæ materiæ, quas sub-
alternans conficiebat in materiâ non con-
tractâ per talem differentiam, quæ demon-
strationes tantum accidentaliter different
ratione materiæ affectæ tali differentiâ ac-
cidentaliter in subalternâ à demonstrationibus

subalternantis. Verbi gratiâ hæ duæ conclusiones: *partes figura circularis difficillimè inter se coeunt; & partes vulneris circularis difficillimè inter se coeunt;* differunt tantum ex eo, quod una abstrahat à materia, posterior fiat in materia particulari, ac proinde posterior chyrurgica debet probari à Geometra eadem demonstratione, quâ probatur prior dicendo: *quia partes figura circularis maximè inter se distant.* Hæ verò conditiones non conveniunt Logicæ respectu ullius scientiæ, ergo. Aliæ siquidem etiam scientiæ agunt de operationibus intellectus, ut Animastica, sed sub alia ratione formali. Neque principia logicæ, uti & aliarum scientiarum demonstrantur à Metaphysica, saltem per demonstrationem ostensivam (qualiter subalternans demonstrare debet principia subalternatæ) sed ad summum per demonstrationem deductivam ad impossibile seu ad duo contradictoria per principium universalissimum: *quidlibet est, vel non est.*

XV. Logica docens dicuntur logicalia præcepta universalialia, quatenus in genere
tra-

tradunt modum rectè definiendi, syllogizandi &c. abstrahendo ab eorum usu seu applicatione ad certam materiam. Logica utens activè dicuntur eadem præcepta quatenus actu dirigunt operantem in materia particulari propria, aut aliarum scientiarum, adeoque non nisi secundùm obliquum & connotatum distinguuntur hæ duæ Logicæ, suntque idem omnino habitus, ibi enim non sunt ponendi distincti habitus, ubi non occurrit distincta difficultas; atqui in exercendis actibus Logicæ docentis & utens activè, sive in executione præceptorum logicorum non est diversa difficultas pertinens ad logicam, ergo: nam difficultas, quæ est in executione operis, vel provenit ex imperfecta cognitione præceptorum, & hanc sufficienter tollit Logica docens, tradens & explicans modum formandi syllogismos, definitiones &c. hinc si quis illa sciat & perspecta habeat perfectè, nunquam difficultatem patietur in materia nota: quod autem post frequens exercitium verbi gratiâ, syllogizandi ma-

por acquiratur facilitas, non fit ex eo, quod distinctus nascatur habitus, sed quod habitus Logicæ docentis intendatur, id est, quod regulæ sic clariùs & firmiùs imprimantur: vel provenit ex imperfecta cognitione materiæ, cui præcepta sunt applicanda, hanc autem non debet, nec potest tollere Logica, sed aliæ scientiæ, quarum est materia: vel provenit ex eo, quod potentia exsequens à potentia dirigente sit distincta; unde quis sciens optimè artem citharizandi, in ipso usu & applicatione digitorum sentiet difficultatem; sed in Logica id locum non habet, ubi potentia dirigente & exsequens est idem intellectus. Porro notandum est, habitum Logicæ utentis activè non generari ab ipsis syllogismis, definitionibus factis juxta regulas Logices; nam effectio syllogismorum, vel ipsi syllogismi facti non sunt actus Logicæ utentis activè, sed utentis passivè, & generant facilitatem utendi regulis quasi passivè, seu generant facilitatem juxta directionem activam operandi; actus autem Logicæ utentis activè generant facilitatem utendi regulis quasi activè, seu dirigendi

gendi in particulari hunc vel illum syllogif-
mum.

XVI. Logica hæc artificialis physicè, imò
ne quidem moraliter est necessaria ad omnes
scientias particulares acquirendas: cum inter
illas quædam ita sint evidentes, ut ex ipsis ter-
minis cuilibet pateant, & non requiratur ad
conclusionem scientificam iudicium evidens
reflexum & in actu signato de bonitate con-
sequentia: sed sufficiat, intellectum per ip-
sam conclusionem scientificam directè, im-
plicitè & in actu exercito cognoscere boni-
tatem illationis. Neque physicè necessaria est
ad scientias totales perfectè acquirendas,
cum intellectus possit sinè habitu, quod po-
test cum illo, possitque esse intellectus tam
perspicax & laboriosus, ut in materiâ alia-
rum scientiarum difficillima sine omni ope
Logicæ artificialis eliciat actum scientifi-
cum, & consequenter omnes, quia sunt ejus-
dem rationis, & post unam demonstratio-
nem intellectus non debilitetur, sed redda-
tur aptior ad aliam. Ad scientiam tamen to-
talem, imò & partialem in materiâ inevi-
dente perfectè acquirendam Logica mora-
liter est necessaria, quia ut habeatur certitudo

B. §

&

& evidentia in materiis intricatis, sæpe opus est iudicio reflexo de bonitate consequentiæ, scire quis debet, modum argumentandi, quo utitur, universaliter esse bonum, item causas cur sit bonus, idque sæpe in actu signato, quæ haberi non possunt absque Logica artificiali ab ingeniis, qualia ordinariè dantur. Floruère itaque quidem aliqui in aliis scientiis ante Logicam perfectè ordinatam, non ante imperfectam, quam sibi ipsi ope Logices naturalis acquisierant. Et Aristoteles suadet Mathesin addiscendam esse ante scientias alias reales, non sermocinales, qualis est Logica.

DISSERTATIO SECVNDA

De Universalibus in genere.

I. **U**Niversale fundamentaliter datur à parte rei ante operationem intellectus; cum non sit aliud quàm singularia, quæ propter similitudinem, quam habent ad invicem, dant intellectui fundamenta-